

uiter peccant, qui ad priores Ordinationes pro-uocant, cum debeant posterioribus adherere; quæ quidem ex eo pretium auxerunt, quia prius illud omnino improprietatum est deprehensum. Pretium autem lege signatum in indiuisibili consistere communis Theologorum, & Iurisperitorum sententia est, & circa hoc deberent profectò Minerarij suæ ipsorum meminisse quærelæ circa obligationem quintæ partis soluendæ Regi: aiunt enim processu temporum res nimium variatas, & earum pretium excreuisse, ac proinde sumptus in Minerarum negotiatione multò esse maiores, & ita moderandas pensiones. Cum ergo hoc etiam respectu Indorum contingat, qui multa etiam emere opus habent; cur non etiam de augendo stipendio possint meritò postulare? Olim plures, vnde & maior labor identidem repetitur. Olim Indici rudiores, nunc scioli, paucorum pridem bonorum domini, nunc ampliorum, iuxta eorum tenuitatem. Ex quo minus ad seruiendum obnoxij debent reputari; vnde & consequenter seruentibus, cum liberi penitus sint, maius debet laboris stipendium assignari. Qui discursus omnium rectè sententium regulis in materia ista confirmatur. His ergo, quæ omnino sunt certa, præmissis, ad quæstiones non ita certas tranſeamus, pro quibus sit

CAPVT II.

Vtrum Ordinationes circa detestationem, & iuridicam manifestationem Minarum, obligent in foro conscientia.

Aſſertio 1. Ordinationes pro Minis in conscientia non omnes obligare.

13 **S**Vnt equidem illæ multæ, de quibus D. Escalona, *Libr. 2. Part. 2. pag. 104. & seqq.* & pro iis generaliter loquendo Dico primò. Ordinationes, quæ aliquid disponunt, in quibus neque ius Regis violatur, neque tertio ius quaesitum adimitur, non obligant in conscientia. Probatur primò: quia non est indicium talis obligationis, aut ex voluntate legislatoris expressâ, aut ex materiæ grauitate, quam solam non sufficere graues Scriptores tenent, vt dictum à nobis non semel; vel quia si in conscientia non obligaret, nullius esset momenti ad rem bono communi valde conuenientem: nam in primis multæ ex dictis Ordinationibus magni momenti non sunt. Quòd enim interest quòd Minæ post triginta dies, & non post quadraginta registrentur? Et vt aliquid profectò interſit, id non videtur sufficiens ad conscientias, & præsertim reatu lethalis criminis, onerandas. Deinde etiam si magni momenti sint in ordine ad temporales utilitates, non sunt tamen tales, vt ex earum transgressione quidquam circa mores periculosum imminet, aut turbationem Republicæ, vel periculum aliud eiuldem inducat. Ad hoc autem vt finis illius obtineri possit, satis esse potest gubernantium sollicitudo, qui transgressores puniant, & fructu laborum spo-

lient. Et ex hoc probatur secundò. Nam Ordinationes istæ penam statuunt in transgressores, vnde iuxta multorum sententiam non obligant in conscientia. Tertio: obligatio in foro animæ eatenus imponi potest, quatenus forum exter-

Nota ratio circa conscientiam obnoxij.

vnde oportuit vnumquemque ad agenda, quæ leges statuunt, in secreto compelli: quâ ratione multi de vestigalibus philosophantur: atqui hæc ratio in casu præſenti locum non habet, quia Minarum detectio nullo modo occultari potest, vnde neque ij, qui gubernant, suo circa illas officio deesse, vt detectorem agere pro libitu fiant. Ergo obligatio in foro animæ necessaria non est.

14 Dico secundò. In iis, quæ ad ius Regis spectant, ordinationes dictæ possunt in conscientia obligare: quod tunc accidit, quando Rex obillarum violationem interesse aliquod magni momenti amiserit; quod enim tale non est, non videtur curandum in re ista, in quâ de terra agitur non palmis, aut pedibus mensurandâ. Probatur quia Minæ ad Regem spectant: ergo non debet in earum dispositione læsionem grauem sustinere. Antecedens constat ex dictis, & consequentia est legitima: vnde si pars illa, quæ in Minis proximior parti detectoris debet Regi assignari, parum utilis sit, grauius peccatur contra iustitiam, & non tantum contra religionem ob iuramenti falsitatem; & idem est si vena diues dicatur pauper, vt vilius ematur. Et sic de aliis, in quibus est detrimentum manifestum. Non videtur autem tale, si quis detector affirmet amicum fuisse detestationis socium, licet ex eo sequatur partem Minæ gratis habiturum: sicut enim eum vocare poterat, vt in conquisitione iuuaret, ita & vocare in consortium felicitatis potest, vt sit hoc diligentia adeò Regi proficua præmium. Videtur item id facere posse pretio accepto, quando id in Regiam utilitatem cadit, vt si detector sit pauper, vt esse ordinariè solent, nec habens ea, quæ ad laborandum in Minâ necessarium est, ex quo Regia utilitas impeditur; promouenda sanè subsidio illo pecuniæ ob consortium affirmatum. Quidquid de periurio aut mendacio sit, ex quibus contra iustitiam nihil resultat.

Aſſertio 2. Obligare que ad ius Regis spectant, & qualiter explicandum.

15 Dico tertio: ordinationes, quæ disponunt aliquid in ordine ad jus tertij seruandum, obligant grauius in foro conscientia. Ratio est obuia; quia in earum violatione contra iustitiam peccatur. Tales sunt aliquæ, de quibus *Cap. Præcedenti*. Et illæ, quæ de Indis Minarum detectoribus loquuntur, vt videri potest apud citatum Escalonam *pag. 105. num. 3.* Cum enim Minas etiam habere possint, non nisi violatâ iustitiâ ab illis excluduntur. Similiter, qui extraneos remouet, cum illis hæc sit concessa facultas, vt apud eundem *pag. 106. num. 7.* Item quæ de præconizatione Minarum procedit, vt non se intromittant, qui post illam accesserunt, iam enim aliis jus quaesitum *Titulo 1. Ordinatio. num. 1. 2.* Illa etiam quæ est *Titulo 2. numer. 1. & 2.* circa partes, in quibus excessus mensuræ fuit, & per iudicis sententiam sunt aliis adiudicatæ, nequeunt enim contra illorum voluntatem retineri, nisi aliquid speciale occurrat, ratione cuius forum conscientia possit probabiliter foro animæ non conformari.

Aſſertio 3. Idem statuenus de speſauribus ad sua terij.

Talis

Talis insuper illa ex *Titulo 6. n. 1.* de concedendo introitu per Minas portam ad Minas alias ingredi volentibus, & sic alia.

Aſſertio 4. Similis circa Indor. damna, aut aliorum obnoxij esse obligationem naturalem.

16 Dico quartò: ordinationes, quæ circa vitanda Indorum damna, & aliorum forsitan tant, obligant grauius in foro animæ: de iis nonnullæ *Capite præcedenti* sunt indicatæ, & ratio obligationis est perspicua, vbi quidem leges charitatis, & iustitiæ vrgent, neque ratione ciuilibus præcepti videtur specialis malitia in transgressione contrahi, quia præceptum tale solum deseruit ad obligationem naturalem, quæ aliàs instat, declarandam: neque enim vt *numer. 13.* dicebamus, vltim est indicium auctæ obligationis, neque opus fuit addi illam, quandoquidem iam erat, & satis premens, & ita non debuit nouus laqueus apponi conscientia minime timoratis.

CAPVT III.

De conquirentibus Minas in fundis alienis.

Dua circa conquirentes Ordinationes.

17 **C**IRCA hoc sunt duæ priores Ordinationes *Tituli 1.* Prima penam imponit resistentibus conquisitioni dictæ in terris Commendæ agriculturâ exercitis, pastioni deputatis, & similibus. Secunda de volentibus conquirere in vineis, aut arboretis, & his fideiussio imponitur de damno componendo. Quod si Minæ diuites euaserint, vnum pro centum domino reddendum. Si verò conquirentes fundum emere voluerint, nullum illis tributum onus relinquitur: nequit autem ad venditionem compelli, nisi ob Minarum prosecutionem. Quâ cessante, venditum potest fundum repetere pretio redhibito. Registrationis autem tempore debet domino fundi pars Minæ adiudicari, sexaginta vinarum; neque illa pro parte est pretij computanda, circa hæc

Aſſertio 1. non posse sine graui peccato conquisitioni resisti.

Rom. 13. v. 2. & 3.

Limitatio quadam.

Aſſertio 2. quid circa conquirentes in vineis.

Aſſertio 3. circa compulsionem ad venditionem fundi.

18 Dico primò. Peccat grauius, absolute loquendo; qui Minarum conquisitioni resistit. Constat; quia Ordinationi Regiæ in bonum commune promulgatæ nequit turâ conscientia resisti. Pro quo est illud *D. Pauli Rom. 13. vers. 2. & 3. Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt: nam principes non sunt timori boni operis, sed mali. Dixi absolute loquendo;* quia multoties occurrere possunt rationes, propter quas possit conquisitio talis impediri: vt si conquirentes homines sint occupationi isti iam diu vacantes, & frustra, vnde pro ridiculis habentur; meritò tales possunt ab huiusmodi occupatione repelli, & curari, vt ad sanam mentem reducantur, somnia potius, quam vera iudicia secuti.

19 Dico secundò: quod de vineis dicitur, videtur extra rem, quia vbi vineæ proueniunt, neque auri neque argenti Minæ esse possunt. Vnde volentibus in illis conquirere meritò potest resisti, quia malitiosè videntur procedere, aut inscienter. Idem etiam ferè de arboretis fructiferis dicendum, & ita prudenter ordinatio cauit de fideiussione damnorum. Legendus *Plinius Lib. 33. cap. 4.*

Dico tertio: si inuenienti Minam in fundo alieno non obſtet domini eiuldem fundi possessio, non debet per potestatem publicam ad

Theſauri Indici Tom. I.

venditionem compelli: vnde quòd dicitur. *Sino suere para seguir las minas*, ita est intelligendum, vt possessio prioris domini obſtet prosecutioni. Ratio autem est clara; quia nemo possessione proprii fundi etiam à Rege potest expelli; nisi quatenus illa communi bono obſtare constiterit. Quia secus circa vineam Naboth res se habebat; Regi Achab ad voluptatem, & non ad necessitatem, ardentem, etiam impiissimam, non tamen est ausus, etiam dato pretio illius, viurpare. De tragædiâ autem hac occasione excitatâ copiosè agitur *3. Reg. 21.* vnde & scriptores communiter ita, vt dogma certissimum secuti, pronuntiant.

20 Dico quartò. Pensio vnus pro centum, ita est accipienda, vt non debeant deduci expense, sed iuxta modum soluendi quintum, & decimas, & communem pensiones soluendi rationem.

Dico quintò: obligatio soluendi illam est grauis in Conscientia foro. Probatur; quia est pretium oneris impositi, & ita ex iustitiâ: si dicas damna perſolui. Id certè non satisfacit, quia præter damna, amissionem scilicet fructuum ex euulsis plantis aliisue, inducta est seruitus pretio æstimabilis, & incommoda multa, quæ facile possunt peruerdi. Item quia Minæ sunt Regis, & eas cum eo onere effodiendas concedit, ad quod se obligant Conquirentes.

21 Dico sextò: si pagus, in quo Mina est conquirenda, ad Ecclesiâ pertinet, verosimile est posse similiter circa illum procedi. Quod ex eo probatur: nam terra cum eo onere transit, & cum eo ab Ecclesiasticis acceptatur: neque enim debent illi bono communi se opponere, cum præsertim ex conquisitione tali nullum ipsis sit damnum superuenturum, immò magnum possit emolumentum prouenire, expensione, & parte Minæ, quam, et si per se exercere nequeant, possunt tamen vendere, & redditus in eâ considerabiles constituere. Quamuis hoc minus conueniens sit ob Minarum fallentias, & ita venditio ea commodior accidit, quæ pecuniâ constiterit numeratâ, aut post spatia non longa securè perſoluenda, sed hoc ij, ad quos spectabit, pro re nata poterunt melius arbitrari.

Aſſertio 4. de pensione vnus pro centum.

Aſſertio 5. obligare in conscientia foro.

Aſſertio 6. ordinatione in pago etiam Ecclesiasticis coru habere locum.

CAPVT IV.

Minarum pretium quomodo computandum.

22 **E**X dictis *Cap. 1. vers. 35.* habetur in venditione Minarum non posse læsionem etiam enormissimam allegari. Cuius ratio esse videtur quia per lites solet opus istud adeò vtile impediri, & ita quòd ad hoc spectat, conscientia contrahentium remittitur: neque enim credendum est leges velle iniuriis patrociniis exhibere; & præterea pretij iusti exactior æstimatio difficilis probationis est: Mina enim nunquam quid intra se contineat, ostendit; venæ namque fertiles vix, solent quandoque languescere, & vel hinc, vel vix sumptus æquatura præbere. Et aliquando è contrario accidit, diuitis non speratis: vnde ex eo, quòd post venditionem deprehenditur, non potest enormis læsio probari; quandoquidem venditio iuxta

Ordinatio circa non allegandâ enormissimam læsionem, & illius fundamentum, & obligatio.

Ff 2

præſen-

praesentem aestimationem rei venditae debet celebrari, & non ex eventu, qui varius esse potest, & cui se, qui emit, & qui vendit, se exponunt, ut est communis doctrina, in iacturetis, in sponsonibus, & affecurationibus, Iudo, & aliis comprobata.

Non videtur talem esse posse, cum pretium quodlibet videtur iustum, sicut in contractibus pluribus.

23 Ex hoc autem videtur deduci in venditione huiusmodi non posse locum habere enormem, vel saltem enormissimam laesionem, cum enim aded incertum sit, quod ex Mina sperare quis potest, non apparet unde talis laesio accidere possit, & ita quovis pretio potest obtineri, & hoc quidem magis conforme dispositioni legis, de qua dictum: ob incertitudinem namque latentium divitiarum recte iudicare potuit quodlibet pretium esse iustum, circa quod partes scienter & prudenter conuenerunt. Et circa aliqua modum hunc venditionis, ut quodlibet pretium censetur iustum, circa quod partes conueniunt, communis sententia firmat in venditione sub hasta, de qua dictum alias, & valde etiam probabilis in rebus multis, quae non sunt vitae humanae necessariae, sed ad voluptatem, aut ornatum seruiunt, ob peregrinitatem aestimabiles. Sic enim sentiunt, Sotus, & Nauarra, apud P. Lessium Lib. 2. Cap. 15. num. 15. & alij. Quod & probant Belgici Turipani. Quod ergo in his, & aliis licet, saltem probabiliter, poterit etiam in Minarum venditione licere. Pro quo

Affertio 1. idem affirmans in prima de refectione.

24 Dico primo. Circa venditionem Minarum cum primo deteguntur, iustum pretium censeri probabiliter potest illud, circa quod contrahentes conueniunt, sublatis dolis, & fraudibus. Hoc videtur ex nuper dictis sufficienter persuaderi.

Affertio 2. circa alius negans pro foro conscientia.

Dico secundo: si Mina iam cognita sit, & iuxta peritorum iudicium illius valor sit definitus, & enormis in eo laesio non licet pro foro animae. Probatur ex dictis supra Titulo 4. num. 219. circa rerum pretium, & deinde, quia iuxta communem aestimationem Mina haec tantum valet; ergo varians notabiliter pretium, laedit etiam notabiliter, & ita iustitiam notabiliter violat. Praeterea; ordinatio non obstat quia iuxta illam dolus nequit alligari: atqui dolus in conscientia non licet, neque ex eo quisquam commodum reportare potest, & licet certa regula sit, quae inter alias iuris in Sexto, ait, scienti & consentienti non fieri iniuriam neque dolum. Est. 25. qui tamen dolo ad consentiendum inducitur, non est dicendus consentire, quia ignorantia facit inuoluntarium; non ergo ordinatio ad forum conscientiae debet extendi: sicut neque ea, quae Doctores circa modos alios venditionis dicunt, quia in illis specialis ratio est, quae in praesenti non occurrit; & ut occurrere diceretur, deberet eorum auctoritate fulciri, quia est exceptio communis regulae; cum tamen nihil tale contingat.

Obiectio ut ratio utriusque Affertionis sit eadem.

25 Dices in casu prioris Affertionis rationem eandem occurrere, quia etiam in eo datur communis aestimatio; iudicio enim peritorum habetur quid Mina recens inuenta promittat. Cum ergo eo non obstante, possint contrahentes sibi legem circa pretium statuere, quod regula iuris admittit in Sexto, dum sic habet: Contractus ex conventionione legem accipere dignosum-

tur: videtur idem in Casu Affertionis secundae dicendum.

Ad quod dico instantiam non vrgere; quod si vim aliquam habet, e conuerso potius arguendum, ut scilicet in casu priori etiam possit esse obligatio conscientiae ad compensandam laesionem. Et certe id est verosimile; unde tantum diximus oppositum posse verosimiliter sustineri. Et est sane diuersa in utroque ratio iam insinuata: Mina enim recens detecta, etsi communi iudicio possit quoad pretium aestimari, est tamen verosimile iudicium illud esse fallax, unde neque omnium, neque peritorum semper est; quod secus accidit in Mina, cuius per experientiam est conditio deprehensa: ut in nonnullis aliis est videre: vinum enim nouum aliter aestimatur, ac iam temporis processu probatum, & similiter mancipium, de quo experientia nulla habetur, ut alia omitam, de quibus frequentia experimenta succurrunt.

Fit illi satis congrua ratio, & ex ipso casu.

CAPVT V.

Minerarius an possit viuum argentum vendere, quod pro Minis propriis eidem a Regis Officialibus moderato pretio venditur.

26 **A**rgentum viuum cum solus Rex per Officiales suos Minerariis vendere possit; qui habere Minas aut proprias, aut sibi locatas comperiuntur, illud quidem moderato pretio tradit, cum tamen secundum vulgarem aestimationem maius sit, ut supra Titul. 5. Cap. 10. & Titul. 9. Cap. 5. diximus. Hinc aliqui lucri occasionem arripientes, metallum, quod pro argenti beneficio accipiunt, pretio dicto, aliis maiori tradunt, erga Minas proprias parum solliciti, unde & Indos pro eisdem acceptos vendere etiam soliti, de quibus dictum in superioribus. Modò de venditione quaerimus; an scilicet liceat cum ad proprii argenti beneficium tribuatur, & praesertim maiori pretio, cuius emolumentum non apparet fundamentum.

Ratio dicitur bitandi.

27 Dico primo: si metallum dictum vendatur eo deferendum, vbi Regia iura magnum sunt detrimentum habitura; non licet venditio, & est graue peccatum cum onere restitutionis. Probatur; quia metallum istud a Rege ea lege traditur, ut in Minarum eius, qui emit, fructibus infumatur, commodum inde suorum iurium habituro; & qui emit ad id se obligat, non recepturus alias metalli vnciam: ergo conuentioni dictae non stans grauius peccat, cumque alias Rex suis iuribus defraudetur, nulla restat ratio, ob quam possit a peccato & restitutionis onere sic vendens excusari.

Affertio 1. negans, vbi iura Regia fraudantur.

Dico secundo: si quis metallum accipiat, quod si ipse non emisset, aliis tradendum fuisset suis in Minis laborantibus, peccat etiam mortaliter, cum obligatione restitutionis. Probatur; quia in contractu delinquens modo dicto graue damnum aliis infert, quibus metallum

Affertio 2. negans, ut in casu alio.

lum maiori pretio vendit, qui illud erant moderato, iuxta taxam a Rege impostam, accepturi.

Affertio 3. secus si tuens id vnciam in casu.

28 Dico tertio. Metallum emens, & uentens modo dicto, quod tamen aliis dandum non fuisset, quia vnusquisque suam habet quantitatem assignatam, etsi videatur grauius peccare ob infidelitatem in contractu, non tamen est ita ad restitutionem aliquam obligatus, ut non possit verosimiliter excusari. Probatur; quia Rex non patitur iurium suorum graue detrimentum; quod enim ipse daturus fuisset, dabit alius, cui metallum ad eundem effectum traditur: lucrum autem, quod ex tali venditione reportat, fructus industriae est, licet cum infidelitate coniuncta.

Obiectio ex eo quod venditio videtur inuoluntaria ex parte Regis.

29 Dices: contractum venditionis prioris fuisse nullum ob rationem indicatam, quia Regi est inuoluntarius, cum ex ignorantia procedat: si enim constaret emptorem istum suis in Minis non laborare, neque metalli vnciam ad beneficium traderetur. Sed licet hoc non leuiter ad probationem partis contrariae deferuatur, unde illa valde verosimilis est; non tamen penitus conuincit, ut pars alia non debeat aliquomodo probabiliter reputari. Licet enim ignorantia faciat inuoluntarium generaliter loquendo, id tamen exceptionem habet, ut non procedat quando contrahens, id, quod reuera non faceret, non vult irritum profus haberi. Ut cum quis vendit aliquid vili pretio, ignorans cito futuram rerum talium raritatem, & ita pretium augendum; contractus sustinetur, etiam si ex ignorantia procedat; & cum quis vendit inimico, quem talem esse ignorauit, minimè alias venditurus. Aut rem meliorem pro alia dedit, ex iis quae idem habent pretium, & volebat sibi, aut alteri referuare, & sic in aliis. In casu autem nostro similiter accidit, quia Rex sic contrahens, nusquam significauit contractum dictum esse nullum, & penitus irritandum; sciens metallum sic venditum suo non sine fraudari. Quod autem non reddatur nullus contractus, ex eo quod sit lege prohibitus, unde argui possit ad probandum venditionem factam ab eo, qui metallum emit, esse nullam; communissima sententia est, & ita ex ea parte probabilitas po-

Fit illi satis cum doctrina congrua circa ignorantiam non semper inuoluntarium redentem contractum.

sitionis dictae nequit infirmari, de quo & nos supra.

30 Sed quid de Regio Ministro vendente metallum dictum iis, quos scit in Minis suis non laborare. Respondeo grauius peccare, & teneri ad restitutionem damniorum, quae ex venditione tali in Regium possunt patrimonium redundare. Tenetur autem in defectum eius, qui immediata causa est, & quia tales homines numquam restituere solent, debitis plurimis praegravati, dici possunt primario teneri; quia iuxta ea, quae communiter accidunt, est in rebus moralibus iudicandum, ut non semel dictum alias.

De Regio Ministro argentum vnquam non laborati in Minis tribuente.

An autem Minerariis dari metallum dictum credito possit. Negant plura Regia rescripta ob difficilem solutionem; unde multa millia argenteorum ponderum Regi ex huiusmodi confidentiali venditione debentur, quorum plurima numquam soluenda; quia ad impossibilitatem redacti debitores. Quod equidem Minarum exilitate non accidit, licet aliquando tales sint, sed sumptuum istorum hominum granditate, ex quibus multi superflui, & vani. Nihilominus Regij aliqui Ministri, rescriptis praedictis non obstantibus, & recuperandi periculis anteuis, contra illa egerunt; quia visum ipsis sic Regij patrimonij causam vtilius agi; si enim ita non venderetur, parum argenti suppeteret, quandoquidem Minerarij praesenti emere pecunia non poterant, unde & in ipsos iacturae ingentes, detrimenta in Regem, & circa bonum publicum prauidicia non leuia sequerentur. Et pro securitate recuperationis specialia firmamenta prouiderunt. Quae omnia cum ex peculiaribus circumstantiis pendent non alia regula, quam Regij seruitij post maturam deliberationem veniunt mensuranda. Unde oneranda conscientiae tunc tantum periculum incumbit, cum sine vrgenti ratione metallum credito venditur, quae venditio, si non recte cedat restitutionis obligatio, suboriatur, Regium Ministrum grauatur. Et hos quidem ante visitationem, aut syndicatum, cum sit manifestum damnum, & haec de Minerariis, ut iam ad alios.

Quod de tributibus creditis contra rescripta Regia.

